

et uno diebus. Si ergo illa oratio erat meritoria, omnibus illis diebus merebatur Angelus; hoc autem dici non potest, quia nec merebatur sibi, ut jam dictum est, neque populo, pro quo orabat, quia pro illo non impetrabat; signum ergo est impetrationem non consistere in merito orationis, sed in hoc solum quod Deus illam acceptet ad concedendum beneficium, quod potest facere sine merito ipsius orationis.

11. *De anima purgatorii quid? — Vide Abulens., Matth. 25, q. 27 et 76, et quæ dixi 4 tom., disp., 21, sect. 4, num. 13 et 14.* — Concludimus ergo hanc conditionem status viæ, id est, hujus vitæ mortalis, in qua non videtur Deus, esse necessariam etiam ad meritum de congruo. Quanquam de statu animarum purgatorii possit esse aliqua dubitatio, eo quod Deum non videant, et consequenter nondum sint in termino. Nihilominus idem de illis dicendum existimo, ut dicto capite undecimo, libro primo de Oratione, dixi, quia, licet orare possint, et impetrare ex misericordia Dei, vel per respectum ad Christi merita, vel ad propria, quæ in hac vita habuerunt, nihilominus non impetrant propter novum meritum, quia ille status quasi pure pœnalis non est accommodatus, et ideo nec destinatus ad merendum aliquid apud Deum, et quasi ad obligandum illum, licet ad rogandum sufficiat. Neque contra dicta obstat testimonium Augustini supra citatum, ex epist. 105, ubi ex impetratione fidei colligit meritum, nam imprimis dici potest loqui de merito late et improprie, ut multi exponunt, quos infra referemus tractando de merito congruo primæ gratiæ, ubi rem ipsam expendemus. Deinde et fortasse probabilius dici potest loqui Augustinum de impetratione impropria et late sumpta; nam quia oratio impetrat movendo Deum ad faciendum quod petitur, ideo quælibet bona dispositio obtinens a Deo aliquod beneficium, vel perfectionem, impetrare dicitur, quomodo dixit Concilium Tridentinum, session. 14, cap. 4, attritionem impetrare gratiam in sacramento. Sic ergo cum Augustinus non loquatur de oratione, sed de fide ipsa, quæ est veluti prima dispositio remota justitiæ, non loquitur de propria impetratione orationis, sed de generali, quæ conjunctam habet rationem meriti, ut in altero loco de Prædest. Sanctorum, capite secundo, idem Augustinus sentit, cum interrogat: *Quis dicat, eum qui jam cepit credere, ab eo quem credidit nihil mereri?* Nam hinc constat non po-

nere hoc meritum in oratione, alioqui responderi facile posset eum, qui incipit credere, posse nihil mereri, quia potest nihil petere. Ponit ergo hujusmodi meritum in ipsamet fide, eo ipso quod voluntaria et supernaturalis est, et ratione illius dicit aliquid impetrare posse apud Deum; loquitur ergo de impetratione late sumpta, prout tribui potest cuicumque operi vel dispositioni, quæ Deum movere potest, ut ratione illius aliquid homini tribuat. Denique responderi potest Augustinum loqui de viatoribus, quales sunt, qui per fidem ambulant, in quibus impetratio etiam propria semper habet conjunctum aliquid meritum modo in capite sequenti explicando.

CAPUT XXXV.

AN MERITUM DE CONGRUO SIT TANTUM RESPECTU MERENTIS, VEL ETIAM RESPECTU ALIORUM?

1. *Arguitur primo non posse quempiam mereri alteri de congruo. — Arguitur secundo.* — Diximus in superioribus unam ex conditionibus ad meritum de condigno requisitis, esse ut sibi unusquisque et non aliis mereatur, et ideo explicandum superest an eadem sit ratio de merito de congruo. Et videtur quidem esse eadem, ideo enim non potest aliquis mereri aliis de condigno, quia non potest secundum ordinem charitatis seipsum privare spiritualibus bonis, ut aliis ea tribuat; vel etiam quia meritum dicit ordinem ad præmium, quod sit veluti testimonium virtutis operantis, et ideo meritum supponit laudem, quam unusquisque meretur propter sua opera, non propter aliena; sed hæc rationes eodem modo in merito de congruo locum habent, quia meritum, de quo tractamus, etiam respicit præmium alicujus spiritualis boni, et supponit dignitatem laudis, et unicuique datur quasi in testimonium virtutis ejus; ergo. Secundo, argumentor in hunc modum, quia vel hoc meritum de congruo est in homine justo, vel in peccatore. In peccatore esse non potest, ut paulo post dicam, quia, cum sit Deo odiosus et invisus, vix potest sibi mereri, nedum alteri; si vero sit justus, ut mereatur alteri, necessarium est ut faciat opus bonum, et aliquo modo supernaturale, ac propter Deum: ergo per tale opus sibi merebitur de condigno; ergo nihil merebitur alteri etiam de congruo. Probat hęc ultima consequentia, quia qui per meritum acceptatur ad condignum præmium, nullo modo potest aliquid

ultra condignum mereri, sed illi juste dici poterit: *Tolle quod tuum est, et vade*, quia per præmium condignum integre solvitur totum operis meritum, ac proinde non potest in eodem opere aliud meritum etiam de congruo rationabiliter cogitari.

2. *Communis sententia.* — Nihilominus communis sententia Theologorum est, posse esse inter fideles vel justos communicationem meritorum, saltem de congruo, ac proinde illam conditionem merendi sibi non esse necessariam in merito de congruo, quia potest unus mereri alteri. Ita docet D. Thomas, dicta quæst. 114, art. 6, ubi loquitur in corpore de merito primæ gratiæ, et, in solut. ad primum, de merito salutis. Unde a fortiori poterit esse tale meritum de cæteris bonis ad salutem conducentibus. Et idem ibi docent Conradus, Cajetanus et alii recentiores, et reliqui Scholastici, distinct. 26 et 28, et in 3, distinct. 18 et 19, quos supra retuli cap. 32, tractando an detur meritum de congruo. Unde etiam Soto et Medina, qui negant meritum de congruo respectu ipsius operantis, respectu aliorum illud admittunt. Et sumitur ex Augustino libro 20 contra Faust., capit. 21, quatenus dicit nos colere Sanctos, *ut meritis eorum consociemur*. Ubi non loquitur de meritis quæ Sancti in beatitudine operentur, tum quia illa nulla sunt, ut dixi; tum etiam quia distinguit illa ab orationibus, dum addit: *Et eorum orationibus adjuvemur*. Sociari autem meritis Sanctorum nihil aliud est quam aliquo modo participare fructum illorum; ergo merita unius Sancti possunt aliis saltem de congruo prodesse. Et hoc modo loquendi sæpe Patres utuntur, dicentes nos adjuvari meritis Sanctorum, qui cum Christo regnant, ut videre licet in Leone Papa, serm. 1 de Apostol. Petro et Paulo; Augustino, 21 de Civit., cap. 27, et aliis alibi citatis; intelligendi enim sunt de meritis, quæ in hac vita Sancti habuerunt, ut dixi, et nobis de congruo prodesse possunt, ut significavit etiam D. Thomas in 4, dist. 45, quæst. 3, art. 3, ad quartum, et ibidem Soto, quæst., 3, art. 1, ad quartum. Præterea de justis hic viventibus idem sumitur ex Augustino, libro Quæstionum in Exod., quæst. 149, ubi dicit meritum Moysi apud Deum tantum valuisse, ut gratia illius diceret illi Deus: *Sine me, et iratus conteram eos*. Et infra adjungit: *Quibus verbis significavit Deus plurimum apud se profuisse illi populo, quia sic ab illo viro diligebantur, quem sic Dominus diligebat, ut eo modo admoneremur, cum merita*

nostra gravassent ne diligamur a Deo, relevari nos apud Deum illorum meritis posse, quos Deus diligit. Præterea idem docet Ambrosius, lib. 5, ad caput 5 Luc., circa illa verba: *Quorum fidem ut vidit, dicens: Magnus Dominus, qui aliorum merito ignoscit aliis, et dum alios probat, aliis relaxat errata. Cur apud te homo collega non valeat, cum apud Deum servus, et interreniendi meritum, et jus habeat impetrandi?* Et inferius eodem libro, circa initium capituli septimi: *Videte* (inquit) *œconomiam, probatur fides domini, et servi sanitas roboratur; potest ergo merito domini etiam famulis suffragari*. Tertia etiam est (ut Lorin. dixit) Ecclesiæ sententia, Stephanum orando Paulum acquisivisse, ut Actor. septimo, Oecumenius et alii notant, et Patres communiter in Sermonibus de Sancto Stephano, qui frequenter dicunt Stephanum impetrasse vocationem Pauli, aliquando vero etiam verbo merendi utuntur, ut Fulgentius, serm. 4 de Stephano: *Charitatis virtute subnixus vicit Saulem crudeliter sævientem, et quem habuit in terra persecutorem, in cælo meruit habere consortem*. Augustinus vero de ea re loquens sæpe dicit quod, si Stephanus non orasset, Ecclesia Paulum non haberet; non tamen declarat an tantum impetrando, vel etiam merendo, illum lucratus fuerit, ut videre licet serm. 1 et 4 de Sanct.; tamen in sermon. 99 de diversis, cap. 11, sic inquit: *Veniam meruit inimicis, gaudere meruit in cælis de amicitia Beati Pauli subsequentiis*, etc.

3. *Ratio pro eadem communi sententia.* — Tandem probatur ratione. Prima et communis est, quia oratio unius pro alio impetrat illi; ergo etiam meretur illi, saltem de congruo. Hęc vero ratio infirmari potest ex dictis, quia impetratio et meritum diversa sunt, et neutrum habet necessariam connexionem cum alio. Unde peccator potest pro alio orare et impetrare, ut in lib. primo de Orat., cap. 25, juncto 27, dixi; et tamen fortasse non potest pro alio mereri de congruo, ut statim dicam. Sed nihilominus quando oratio funditur ab homine justo et viatore, illatio est optima, quia, ut oratio impetret, debet bene fieri, et ex fide et auxilio gratiæ, et ideo est opus de se placens Deo. Unde si persona sit grata, non est cur non sit meritoria. Adhuc vero instari potest, quia, licet inde inferatur talem orationem esse meritoriam de condigno ipsi operanti, non inde sequitur quod sit etiam meritoria de congruo alteri, pro quo oratur. Et ideo necessario ad hoc principium

deveniendum est, quod opus justi bonum, et de se meritorium apud Deum, relatam ad alterum, ut illi prosit, ex pio affectu et desiderio operantis, etiam potest esse alteri meritorium de congruo. Unde cum gratia, eo ipso quod pro altero fit, ad bonum ejus refertur ex affectu orantis, inde consequenter fit ut in viatore, non tantum impetratoria sit, sed etiam meritoria alteri de congruo, sicque intelligi debet illud Jacob. 5: *Orate pro invicem ut salvemini, multum enim valet deprecatio justi assidua.*

4. *Prædictum principium ostenditur primo.* — Superest probandum illud principium, quod opus meritorium, factum a justo in bonum alterius, etiam respectu illius meritorium sit aliquo modo. Hoc autem ostendi potest, primo, ratione supra tacta, quia ad meritum de congruo non sunt necessariae omnes conditiones, quæ ad meritum de condigno; ergo si plures, et præcipuæ, et (ut ita dicam) quasi essentialis ex generali ratione meriti concurrant, illæ sufficiunt saltem ad meritum de congruo, etiamsi aliquæ desint. Ita vero est in præsentī, nam imprimis ex parte actus supponitur bonitas, et emanatio a fide et auxilio gratiæ, et consequenter intercedit etiam magna proportio inter talem actum et bonum quod alteri procuratur, saltem quatenus sunt ejusdem ordinis supernaturalis. Item ex parte personæ supponitur, quod sit in statu merendi, quod ad omne meritum maxime necessarium est. Identitas autem inter personam quæ meretur et cui meretur non est necessaria ex generali ratione meriti, ut etiam inter homines servari videmus, sed peculiari ratione in merito de condigno apud Deum in persona creata postulat, quia actus ejus ex natura sua, et quasi intrinseca lege, ad bonum tantum ipsius operantis ordinantur, et ideo tantum respectu illius facta est promissio, et quasi pactum justitiæ; ergo, licet hæc conditio desit respectu alterius, poterit actus unius alteri esse meritorius de congruo.

5. *Ostenditur secundo.* — *Ostenditur tertio.* — Accedunt duo maxime consideranda in hoc merito: unum est, quod, licet is qui meretur et cui meretur non sint una persona physica seu naturalis, componunt tamen unum corpus mysticum, et sunt invicem membra ratione unius fidei et charitatis, per quas in Christo uniantur; ergo, secundum hanc moralem considerationem, dum unus alteri meretur, sibi quodammodo meretur; ergo ex hac parte satis

est ut unus alteri, saltem de congruo, mereatur. Propter quod fuit hic modus meriti ad charitatem inter ipsos fideles promovendam maxime conveniens, et divinæ ordinationi ac providentiæ consentaneus, sicut de satisfactione unius pro alio alibi diximus. Alterum considerandum est ex parte Dei; nam, licet hoc meritum non sit fundatum in promissione divina, quia non nititur in lege justitiæ, habet nihilominus magnum fundamentum in lege amicitiae, quia secundum legem amicitiae congruum est ut amicus voluntatem amici honestam faciat, et ita hoc potest dici debitum operibus et obsequiis amici ex congruitate amicitiae. Cum ergo inter Deum et hominem amicitia intercedat, dicente Christo Domino: *Jam non dicam vos servos, sed amicos*, magnum profecto fundamentum est in operibus justorum, ut ad benefaciendum aliis Deus benigne propter amicorum opera inclinatur, et hoc ipsum est illa esse meritoria de congruo respectu aliorum.

6. *Primum discrimen meriti ad se vel alium.* — Ex his autem colligi potest aliquod discrimen inter hoc meritum de congruo respectu alterius et respectu sui, nimirum, quod ad merendum sibi de congruo non necessario supponitur status gratiæ in merente; ita enim procedunt et intelligenda sunt quæ supra de hoc puncto dixi. At vero ad merendum aliis, necessarius videtur status gratiæ in merente; ita enim ex allegatis Patribus colligitur, nam solis justis hoc meritum tribuunt. In quo differentia est inter impetrationem et meritum, nam impetratio per se tantum nititur in misericordia et liberalitate ejus qui oratur, vel etiam in fidelitate promittentis, et ideo potest etiam peccator aliis impetrare; at vero meritum, etiam de congruo, nititur aliquo modo in conditione merentis et operis ejus, et ideo sanctitas personæ maxime necessaria esse videtur. Et fortasse ideo dixit Jacobus: *Orate pro invicem, ut salvemini, multum enim valet deprecatio justi assidua*, quia non solum ad impetrandum, sed etiam ad merendum aliis valet. Ratio vero esse potest, quia hoc meritum magna ex parte fundatur in lege amicitiae inter Deum et operantem; ergo supponere debet charitatem in ipso operante. Unde dixit Ambrosius: *Si diligis Dominum Deum tuum, non solum tibi, sed etiam aliis poteris emereri.* Tandem ex differentia inter meritum respectu sui vel alterius idem confirmari potest; nam peccator ideo potest sibi aliquid de congruo

mereri, quia potest per auxilium gratiæ se aliquo modo disponere ad ulteriorem gratiam, et ita illud meritum non fundatur in conditione personæ, sed in proportione operis ejus per modum dispositionis congruæ ad aliam formam seu gratiam; hæc autem proportio non intervenit nisi in ordine ad idem subjectum, et ideo cessat hoc fundamentum in merito de congruo respectu alterius, quia actus unius non disponit alium, ut per se constat. Cum ergo in peccatore cessat etiam congruitas, vel (ut Bonaventura loquitur) dignitas ex parte personæ operantis, nullum fundamentum meriti de congruo respectu alterius in illo relinquitur, quod secus est in persona justa, ut per se constat.

7. *Secundum discrimen: Meritum ad se non exigit peculiarem relationem, meritum vero ad alium maxime.* — Aliud discrimen assignari potest, quod ad merendum sibi de congruo, non est necessaria specialis relatio vel voluntas operantis, qua suum opus offerat, et ordinet ad tale beneficium obtinendum, quia ipsum opus ab intrinseco tendit ad bonum et commodum ipsius operantis. At vero ad merendum alteri de congruo, necessaria est specialis oblatio operantis referentis opus suum in commodum alterius propter contrariam rationem, quia opus bonum ex se non refertur ad commodum alterius, sola excepta oratione, quando pro alio fit, propter speciale modum suum, ut supra tetigi. Utrumque autem membrum declaratione indiget: nam primum habet maxime verum quantum ad meritum de congruo illius beneficii, quod vel ex natura rei, vel ex speciali ordinatione divina, cum opere sic meritorio connexionem habet, ut est in attritione, vel eleemosyna in ordine ad promerendam de congruo remissionem peccatorum. At vero si beneficium promerendum sit omnino disjunctum, seu non connexum cum opere meritorio, necessaria erit specialis relatio operantis, vel ad promerendum de congruo, verbi gratia, donum continentiae per eleemosynam, quia tale opus bonum de se non disponit nec juvat ad aliam virtutem, quasi disparatam; ergo, ut juvet per modum meriti, oportet ut per intentionem operantis determinetur, et ita in hoc æquiparatur merito de congruo respectu alterius.

8. *Virtualis intentio sufficit ad meritum.* — *Confirmatio.* — Circa illud vero est ulterius advertendum, illam intentionem particularem non semper requiri actualiter, sed vir-

tualiter sufficere, eamque maxime requiri ad promerendum alteri aliquod speciale donum, aut beneficium; tunc enim urget ratio facta, quod non potest aliunde tale opus ad tale beneficium promerendum in particulari determinari. Potest autem intelligi, quod unus justus mereatur aliis de congruo divinum favorem, et beneficentiam, absolute et generatim, determinationem ejus divinæ sapientiæ ac providentiæ committendo. Et ad hunc modum merendi, non videtur necessaria specialis intentio aut oblatio operantis, sed sufficit generalis et quasi connaturalis, quam includunt obsequia pro amico, aut pro rege, vel republica, et multo magis pro Deo facta, nam ex vi illorum meretur justus, ut Deus beneficiat aliis, præsertim conjunctis et propinquis justorum sibi servantium, etiamsi fortasse ipsi de hoc non cogitaverint, quia implicitum seu præsumptum eorum desiderium ad hoc sufficit. Confirmatur hoc, quia merita, quæ sancti habuerunt in hac vita, nos possunt nunc adjuvare de congruo, ut supra dixi, et ex usu Ecclesiæ colligitur; hæc enim ratione a Deo petimus precibus Sanctorum adjuvari; quia non solum in orationibus privatis, sed etiam in publicis collectis frequenter petit meritis Sanctorum adjuvari, et in Testamento veteri sæpe antiqui Patres in hunc modum orabant, ut Daniel 3: *Propter Abraham dilectum tuum, et Isaac servum tuum, et Israel sanctum tuum.* Et Deus ipse sæpe revelabat se aliquid facturum propter ipsorum merita; et Genes. 18 legimus ostendisse se Deum paratum ad parcendum civitatibus Sodomorum propter decem justos, si inter eos inventi essent. Quæ omnia et similia fiunt intuitu meritorum justorum, etiamsi illi sua opera, ad illos effectus promerendos, peculiari affectu non obtulerint; ergo signum est ad merendum hoc modo satis esse generalem affectum charitatis, quo cupiunt justis suis meritis prodesse omnibus, quantum in ipsis est.

9. *Dubium de conditione ejus cui meritum de congruo applicatur.* — *Decisio bifida.* — *Prima pars suadetur.* — *Secunda exemplo declaratur.* — Tandem in hoc puncto quæri potest an ex parte ejus cui alter meretur, necessaria conditio sit, quod ille sit in statu gratiæ, vel saltem quod sit fidelis, ut alterius meritum illi prodesse possit. Nam videri potest hoc necessarium, tum quia hoc meritum fundatur in unione talium personarum in Christo, seu in ejus corpore mystico, cujus

sunt membra, quæ unio per charitatem perficitur, et per fidem inchoatur; tum quia existens in peccato mortali videtur ponere obicem fructui talis meriti, sicut quando unus justus pro alio satisfacit, si ille alius sit in peccato mortali, non prodest illi satisfactio alterius. Nihilominus dicendum est talem conditionem prodesse quidem posse, ut Deus facilius, ac libentius, ac proinde frequentius propter unius justum alteri beneficiat; non tamen esse illam conditionem simpliciter necessariam. Prior pars suadetur sufficienter priori ratione proposita, et est per se notum, quia personæ sanctitas vel bona dispositio sine dubio auget congruentiam et proportionem inter meritum et ipsam. Altera vero pars sufficienter probatur exemplo Stephani et Pauli, nam Paulus nec justus nec fidelis erat, quando Stephanus vocationem illi de congruo meruit. Et ratio est, quia hoc meritum non fundatur in aliqua dignitate vel dispositione ejus pro quo offertur, sed offerentis, et potius ad hoc ordinatur, ut alter per auxilium gratiæ ad meliorem statum convertatur, cujus auxilii non est incapax, etiamsi peccator vel infidelis sit. Et ideo ad tale meritum non est semper necessarium ut actualis unio per charitatem vel fidem inter tales personas supponatur, sed satis est ut is cui alter meretur, sit capax talis unionis, et quod meritum ad illam impetrandam ordinetur. Sic enim etiam potest unus alteri impetrare fidem vel charitatem. Neque est simile de communicatione satisfactionis, quia illa fit per modum solutionis justæ, ita ut propter satisfactionem unius de justitia remittatur pœna alteri debita; ille autem, qui est in peccato mortali, est incapax talis remissionis et justitiæ, ut dixi in tom. 4, disp. 48, section. 7, et disp. 37, sect. 2, a num. 40.

10. *Ad primum argumentum in num. 1. — Ad secundum.* — Ad argumentum primum in principio quæstionis positum, respondemus imprimis meritum de congruo pro alio nulla ex parte minuere præmium de condigno debitum justo propter eadem opera, quia hoc meritum non inducit debitum justitiæ respectu alterius, et ideo simul esse potest cum integro merito justitiæ ipsius operantis. Sic enim Sancti beati, quamvis jam receperint integrum præmium, quod de condigno meruerunt quoad animam, nihilominus suis meritis nos de congruo juvant, aliquid intuitu illorum pro nobis pestulando. Et inter homines videmus quod, licet miles laboris sui condignum

stipendium a principe recipiat, nihilominus si strenue militet, censetur mercedem aliquam saltem de congruo filiis mereri. Igitur quamvis justus apud Deum sibi de condigno mereatur, hoc non obstat quominus simul possit aliis de congruo mereri, sicut etiam potest impetrare. Neque hinc sequitur (ut in eodem argumento insinuat) unum laudari ex merito alterius, sed sequitur unum honorari vel ditari ex merito et labore alterius, quod non solum inconueniens non est, verum potius est maxime rationi et amicitia consentaneum. Neque tunc præmium est testimonium virtutis ejus cui datur, ut per se notum est, et per hæc ad secundum etiam argumentum sufficienter responsum est.

CAPUT XXXVI.

UTRUM AD MERITUM DE CONGRUO EX PARTE DEI REQUIRATUR PROMISSIO?

1. *Opinio prima Soti. — Ejus fundamentum.* — Diximus de persona merente et cui meretur, superest ut dicamus de conditione requisita ex parte Dei, quæ solum esse potest ordinatio vel promissio, juxta supra dicta de merito de condigno. Circa hanc ergo conditionem duo possunt esse modi dicendi extreme contrarii. Primus est, repugnare promissionem sub conditione talis operis merito de congruo. Ita sentit Soto, lib. 2 de Natur. et grat., cap. 4, quatenus ait meritum non esse de condigno, nisi quia Deus certissimam legem statuit tribuendi præmium servanti mandato; hæc enim lex nihil aliud est quam promissio; ergo, eo ipso quod meritum in promissione fundatur, est de condigno; ergo promissio repugnat cum merito de congruo. Et ita illo argumento contendit Soto excludere meritum de congruo, nam supponit aliud principium, quod apud Deum non potest esse verum meritum, nisi in promissione fundatum. Hanc etiam opinionem indicat Bellarminus lib. 1 de Justific., cap., 21 § *Quare*, etc., ubi ait: *Si meritum de congruo fundatur in promissione cum conditione operis, esset meritum ex justitia, et de condigno potius, licet imperfecte, quam de congruo nominandum.* Et ideo consequenter negat factam esse a Deo promissionem dandi primam gratiam peccatori, si coneratur, ne meritum de condigno primæ gratiæ inde inferatur.

2. *Opinio secunda. — Lorca, disp. 43 de gratia. — Ejus fundamentum.* — Alter modus

extreme contrarius, est, promissionem esse omnino necessariam ad meritum de congruo apud Deum. Quæ opinio etiam sequitur ex fundamento Soti, saltem ex hypothesi quod meritum de congruo admittendum sit, quia non potest esse apud Deum verum meritum sine promissione. Et hanc sententiam sequi videntur nonnulli moderni, qui distinctionem faciunt inter meritum erga hominem et erga Deum, quia apud hominem non putant esse semper necessariam promissionem, vel pactum ad omne meritum, quia saltem ad meritum ex gratitudine non requiritur pactum vel promissio; in Deo autem dicunt præsupponi oportere pactum vel promissionem, ut possit homo apud ipsum mereri; ergo sentiunt ad omne meritum apud Deum, sive sit ex justitia, sive ex gratitudine, ut ipsi loquuntur, necessariam esse promissionem, alias nulla esset diversitas; meritum autem de congruo sub aliquo illorum membrorum continetur; ergo necesse est ut etiam ad meritum de congruo promissionem requirant. Potestque hæc sententia fundari, quia per omne meritum, etiam de congruo, fit præmium aliquo modo debitum operi; ergo si meritum est apud Deum, necesse est ut Deus ex aliqua virtute obligetur, vel saltem inclinetur ad retribuendum præmium tali operi; sed nulla esse potest talis virtus, nisi præcedat promissio; ergo nec meritum esse potest. Probatur minor, quia illa retributio non erit ex justitia, quia non est meritum de condigno, neque ex fidelitate, quia non est facta promissio, neque ex misericordia, quia hæc non respicit opus, sed indigentiam, nec ex liberalitate, quia hæc etiam non fundatur in opere recipientis, sed ex sola voluntate dantis; ergo sub nulla ratione virtutis potest tale meritum inducere debitum apud Deum, si ejus ordinatio et promissio non præcedat.

3. *De ordinatione divina ad meritum de congruo notatio.* — Nihilominus media via nobis tenenda videtur. Quia vero supra ordinationem talis meriti ad tale præmium ex voluntate divina, a rigorosa promissione divina in merito de condigno distinximus, et illa duo possunt ad meritum de congruo applicari, idcirco prius circa ordinationem advertere oportet illam dupliciter spectari posse, ut ibi etiam dixi, scilicet, vel antecedenter, ut actus meritorius possit referri ad tale præmium, potius quam ad aliud, vel consequenter, ut actus de facto ad tale præmium acceptetur. Unde hæc posterior potius dicenda est acce-

ptatio. Prior ordinatio in hoc merito de congruo necessaria non est; imo nec in eo locum habet. Quia hoc meritum solum consideratur in actu secundum congruitatem, quam ex intrinseca bonitate et aliis suis circumstantiis ad tale vel tale præmium habet, cui congruitati nihil addere potest extrinseca ordinatio. Et quamvis contingat tale meritum esse indifferens ad hoc vel illud præmium, vel ad hanc aut illam personam cui præmium sit conferendum, hæc indifferentia determinari sufficienter potest per ordinationem, seu intentionem ipsius operantis, ut in præcedenti capite tactum est. Quod si hæc etiam determinatio ex parte operantis defuerit, determinari poterit (ut ibidem insinuavi) per voluntatem Dei acceptantis hoc meritum, ad conferendum hoc vel illud beneficium, potius quam aliud, et huic vel illi personæ potius quam alteri. Hæc autem determinatio tunc non est per modum antecedentis ordinationis, sed per modum subsequenti acceptationis, ut ex re ipsa bene considerata manifestum est. Quocirca hæc acceptatio in hoc merito peculiari ratione semper est necessaria, ut meritum sit efficax et actuale, ut sic dicam. Quia retributio hujus meriti non est ex justitia, neque est ita debita ut sit contra rationem vel contra aliquod Dei attributum non acceptare tale meritum, nec propter illud retributionem dare, et ideo talis retributio semper est gratuita simpliciter, etiam supposito tali merito. Et ideo, licet actus dici possit de se meritorius ante acceptationem, nihilominus in esse actualis meriti (ut sic dicam) et in efficacia sua per acceptationem consummatur. Sicut oratio, licet de se impetratoria sit, actualem impetrationem habet ex acceptance divina.

4. *De promissione autem divina ad idem meritum sit prima assertio.* — Circa promissionem, dicendum est primo non semper repugnare quod ante tale meritum præcedat promissio sub conditione talis operis. Probatur primo, exemplo ultimæ dispositionis ad primam gratiam, nam meretur illam de congruo, ut capite sequenti ostendam, et nihilominus facta est promissio gratiæ et remissionis peccati peccatori, si convertatur sicut oportet, ut in superioribus, et in materia de Pœnitentia satis ostensum est. Simile exemplum est, verbi gratia, de elemosyna vel oratione, nam illis promissa est aliquo modo remissio peccatorum, saltem mediante auxilio, quo possit homo ad illam pervenire, si